

# E CURIA GENERALITIA

## Litterae circulares R.<sup>mi</sup> P. Generalis N. 97

(De obitu E.<sup>mi</sup> et R.<sup>mi</sup> P. D. Gulielmi Card. van Rossum)

Maestissimum iam accepistis, dilecti Fratres, nuntium telegraphicum, quem vobis misi statim post mortem amantissimi ac carissimi Confratris nostri GULIELMI CARDINALIS VAN ROSSUM, cui nuntio volo nunc, acceptis plenioribus notitiis, addere quaedam particularia de ultimis sex vitae eius hebdomadibus et de eius morte pretiosissima.

Usque ad suum ab Urbe discessum, optima videbatur uti valetudine, at ipse dicebat se senescentem non amplius consuetis frui viribus.

Die 18 Iulii vesperi Roma profectus est, ut die 19 eiusdem mensis in Sanctuario S. Antonii S. Missam celebraret. Post Missam autem iter ad Monachium (*München*) continuavit et in domo nostra pernoctavit. Postero die, S. Missa in ecclesia nostra lecta, ad Thermas Carolinas (*Karlsbad*) progressus est. Quo loco a die 20 Iulii ad diem 17 Augusti permansit, ut istis celeberrimis Thermis uteretur. Die tamen 14 Augusti iter fecit ad urbem Eger ibique pernoctavit. Die sequenti primum lapidem ecclesiae Sororum a S. Cruce, quarum Protector erat, benedixit et eodem die vespere Thermas Carolinas reversus est. Iam prius die 31 Iulii in ecclesia nostra in urbe Thermis Carolinis sita campanas quoque consecraverat.


Deinde die 17 Augusti Thermis Carolinis discessit et usque ad Berolinum progrediens in domo nostra pernoctavit. Postero die iter a Berolino ad Hauniam (*Kopenhagen*) peregit, ut Congressui Eucharistico regionis Scandinaviensis in ista urbe celebrando interesset. Aduit sollemni inaugurationi in stadio eiusdem urbis habitae, qua occasione orationem ad fideles et clerum habuit. S. Communionem insuper in ecclesia Patrum Societatis Iesu pueris distribuit, et ultimo die Congressus sollemni Missae pontificali ab Eminentissimo Cardinali Hlond cantatae adfuit, statimque post Missam SS. Sacramentum per totum tempus sollemnis processionis portavit ac deinde benedictionem cum SS. Sacramento impertivit.

Statim post Congressum Eucharisticum Eminentissimus noster Confrater die 22 Augusti Haunia excessit, et transiens Berolinum postridie hora 9.32 Amstelodamum (*Amsterdam*) pervenit et S. Missam hora 10 celebravit. Inter Congressum Eucharisticum autem et post hoc iter tam longum plus assueto se defessum sensit, atvero medici, tum Thermis Carolinis tum Amstelodami, asseruerunt eum bene valere.

Demum die 25 Augusti post S. Missam cum S. Communionem quam plurimis fidelibus administrata multum erat fatigatus. Eodem tamen die iter



Clerici studentes nostri portant corpus mortuum  
Emi P. D. Card. van Rossum ex ecclesia S. Servatii.




Praelati in pompa funebri Emi P. D. Card. van Rossum incedentes.

fecit Ultrajectum (*Utrecht*) ibique cum Archiepiscopo prandium sumpsit, inter quod hilari ac facili verbo de missionibus locutus est. Post prandium paululum requievit, ac deinde iterum progressus est ad domum nostram Noviomagensis (*Nijmegen*). Post adventum autem dolores stomachi sensit, qui dolores prima indicia finis esse videbantur, nam ex eo tempore appetentia cibi penitus evanuit, ita ut fere nihil solidi amplius manducare posset. Nihilominus die 26 Augusti sororem suam in monasterio Tilburg degentem visitavit et eodem die Noviomagum reversus est.

Tandem die 27 Augusti vespere domum Missionariorum de Scheut Sparrendaal prope Buscoducum (*s' Hertogenbosch*) sitam adivit, ut die sequenti 28 Augusti alumnum eiusdem Congregationis, Rev.mum D. Joosten, Vicarium Apostolicum Tatungfu in Sina, Episcopum consecraret. Fine consecrationis difficillime facto, Eminentissimus noster Confrater viribus omnino destitutus est. Post aliquas horas requiei tamen vespere ad domum Wittem pervenire potuit, et cum gaudio et hilaritate domum ingrediens exclamavit: « Quam laetus sum me hic esse! ». Deinde post parvulam refectionem hilariter cum confratribus sumptam in cubiculum suum ivit, ut per noctem requiesceret. Postero die mane viribus ita orbatus videbatur, ut Confratres eum a S. Missa celebranda averterent, at ipse ob suam eximiam in SS. Eucharistiam devotionem ab illa abstinere noluit. Quapropter, Secretario suo R. P. Bernardo Lijdsman et ex-Secretario R. P. Iosepho Drehmanns innixus et pluries per aliquod tempus sedens, ultimam suam Missam complevit. Paulo post a duobus medicis examinatus est, qui plenam ei requiem praescripserunt, et eodem die vespere, consilio medicorum et confratrum habito, Eminentissimus, ipso consentiente, eiusque Secretario R. P. Lijdsman comitante, in nosocomium Montis Calvariae in Maastricht situm, translatus est. Circa horam undecimam eiusdem diei 29 Augusti medicus declaravit conditionem eius ita gravem esse, ut ultima Sacramenta ei administrari deberent. Quod audiens, voluntati Dei tunc uti semper uniformis, ipse cum maxima devotione ultimam confessionem fecit et particulam S. Hostiae cum aqua sumpsit et extremam unctionem cum Apostolica Benedictione accepit, repetens ipse devote orationes, quas R. P. Lijdsman ministrans recitavit, non omissis verbis quinque unctionum. Ex quo tempore ille usque ad finem permansit in profunda lethargia, ex qua Secretarius eum aliquoties excitavit, ut aliquas precatiunculas cum ipso recitaret. Tandem aliquando die 30 Augusti, hora secunda post mediam noctem, placidissime in Domino obivit.

Per totum supra dictum iter comitabantur eum R. P. Secretarius Bernardus Lijdsman cum cubiculario Ioanne, et Frater laicus Aegidius quoque in urbe Haunia et in Hollandia, et insuper in hac eius patria Plur. Rev. P. Provincialis Ludovicus Wouters et ex-Secretarius R. P. Iosephus Dreh-

manns, qui universi eum, ope sua et medicorum, ubique diligentissime curabant. Verum SS. Redemptor et bonus Pastor noster amantissima suae Providentiae dispositione res ita disposuit, ut Eminentissimus Cardinalis van Rossum, qui in patria sua valde veneratus et amatus erat, ibidem, et quidem in hoc ipso itinere, cursum suum mortalem completeret et in domo Wittem ab ipso peculiariter dilecta resurrectionem mortuorum expectaret. Nam die 1 Septembris in pulcherrimam et vastissimam ecclesiam S. Servatii urbis Maastricht corpus eius delatum est, et, eodem loco usque



† Eius P. D. Card. van Rossum post obitum.

ad diem 3 eiusdem mensis permanens, ab ingenti hominum multitudine, ex fere omnibus Hollandiae regionibus accurrente, est veneratum. Quo die 3 Septembris sollemnibus exsequiis interfuerunt Eminentissimus Cardinalis van Roey, Archiepiscopus Mechliniensis, et omnes Hollandiae et Scandinaviae Episcopi cum aliis pluribus Episcopis ac Praelatis ex diversis nationibus, Superiores Provinciales omnium Ordinum et Congregationum religiosarum, magna frequentia cleri saecularis et regularis, nobiliores quoque laici, qui vicem Reginae omniumque Gubernii civilis graduum gerebant, et turba quam plurima. Deinde eodem die post meridiem corpus defuncti in Wittem portatum, in crypta sub altari ecclesiae nostrae prope defunctos confratres istius domus sepultum est, ubi postea monumentum funebre ipso dignum erigetur. Quibus dictis, pauca in praesenti addere volo, nam spero fore ut plura serius in Analecta edi queant. Ac primum commendo considerationi vestrae miram Eminentissimi defuncti devotionem in SS. Sacramentum, quae ex supra dictis patet. Ipse enim per



Congressum Eucharisticum supra memoratum et per ultimam consecrationem episcopalem ab ipso peractam ac praesertim per ultimam S. Missam a se celebratam pro Iesu in SS. Sacramento manente vitam suam obtulit. Deinde eximiam in B. V. Mariam devotionem continuo demonstrabat, nam oratorium suum privatum B. V. Mariae perpetuo succurrenti consecravit et preces a Regula vel traditione nostra praescriptas nunquam omisit, ac praesertim preces novendiales, quas ille semper, etiam in itineribus, fideliter recitavit, cuius rei gratia, uti nobis credere licet, Mater Divina privilegium a S. P. N. Alfonso semper desideratum ei concessit, siquidem primo die novenae in honorem Nativitatis B. M. V. mortuus est. Mentione quoque digna est ardens eius devotio erga Summum Pontificem, pro quo, uti dixit non semel Secretario Congregationis de Propaganda Fide, Rmo D. Sallotti, paratus erat vitam dare, non solum semel, sed pluries, si fieri posset. Praeterea diarium *L'Osservatore Romano* in testimonium talis devotionis haec verba ex oratione defuncti inter Congressum Eucharisticum supra dictum excerpta edidit: « Il Santo Padre è con il Suo amore ed il Suo spirito fra noi e benedice i nostri lavori, i nostri proponimenti. Mai un padre è stato più vicino ai suoi figli, come il Santo Padre è coi Suoi figli qui riuniti in Congresso Eucaristico. — Sanctus Pater amore ac spiritu Suo nobiscum est nostrisque laboribus ac propositis benedicit. Pater numquam ita prope fuit filiis suis sicut Sanctus Pater adest nobis in Congresso Eucharistico congregatis ». Postremo vobis iam notus est amor eius et devotio erga S. P. N. Alfonso eiusque duplex Institutum. Doctrinam eius, occasione data, semper defendit ac propugnavit, nec unquam praetermisit occasionem vel ipsi Instituto eiusve singulis sodalibus subveniendi. Sed certissimum huius amoris ac devotionis argumentum erat fidelis eius usque ad mortem Regularum ac Constitutionum observantia. Nam in sua parva non formata communitate cum Secretario suo ac duobus Fratribus laicis omnia acta communia, meditationes, examina conscientiae, exercitia spiritualia annua ac mensilia, disciplinam in commune, ceteraque praescripta fideliter peregit. Quare sperare licet eum iam accepisse pulcherrimam illam coronam, quam S. P. N. Alfonsus paratam vidit iis omnibus, qui regulariter vixerunt et in Congregatione moriuntur. Omnibus tamen duplicis Instituti sodalibus, ac praesertim Superioribus Provincialibus ac localibus animam eius commendo, rogans ut suo quisque modo ea suffragia pro ipso, quae commode possunt, peragent.

Finem faciens vobis innotescere volo, me plures epistolas ac telegrammata accepisse a Cardinalibus, Episcopis, Missionariis, Institutis religiosis aliisque plurimis, qui omnes maximam erga Eminentissimum defunctum existimationem summumque ob eius inopinatam mortem dolorem expresserunt. Quae omnia longe superat telegramma, quod sequitur, ab ipso

Vicario Christi acceptum: « Reverendissimo Generale Redentoristi Sant'Alfonso Roma — Sua Santità esprime Paternità vostra Reverendissima e intera Congregazione Sue Auguste vive condoglianze grave perdita Eminentissimo van Rossum illustre figlio codesta benemerita famiglia religiosa dolente rimpiangere Egli stesso eletta mente zelo instancabile invia di cuore confortatrice Apostolica Benedizione — Card. Pacelli ». Cuius sensus sic sermone latino exprimi potest: « Sanctus Pater se participem facit doloris, quem Paternitas tua tuaque Congregatio tota sentitis ob mortem Eminentissimi Cardinalis van Rossum, clari istius bene meritae Familiae religiosae filii, et Ipse dolens, dum electam eius mentem zelumque indefessum plangit, consolantem Benedictionem Apostolicam ex corde impertit. — Cardinalis Pacelli ».

Benedico vobis universis et singulis, dilecti Fratres, et, rogans Superiores Provinciales, ut hanc Circularem Monialibus SS. Redemptoris in sermonem patrium vertendam curent, me et Institutum nostrumque Eminentissimum Confratrem iterum commendans orationibus vestris, permaneo in I. M. I. A.

Romae, ad S. Alfonsi, die 8 Septembris 1932,  
festo Nativitatis B. V. M.

addictissimus vester Confrater  
PATRITIUS MURRAY, Congr. SS. Red.  
*Sup. Gen. et Rect. Mai.*

---